

65.

Viro celeberrimo et Doctissimo
 D. D. Car. Linnæo, Equiti, archiatro
 Regio, acad. scient. stok. Ups. monsp.
 Cur. nat. &c. Socio

S. pl. D.
 joan. Bap. Aymen.
 Doc. Med.

Historiæ naturalis amore incensus, vir celeberrime, aquitaniam pro anno dereliqui, et Lutetiam adii. hac in urbe, auxiliis non indigebo, ut attente studeam. quidquid in natura reperitur facile videbo et examinabo. viros eruditos assidue frequentabo.

Gualtheriam, Michellam, clethram, zizaniam, iteam, struthiam, Linnæam, pisoniam, Barleriam, Ximeniam et multa alia genera in horto regio jam vidi et observavi. vidi et quoque cum amicissimo nostro jussieo, mone-riam, d'ayeniam, et quædam alia nova genera.

Hyperici species jam tibi dictas, novum genus constituere certus est B. Jussieu. Ille enim vir illustris, quin Ei genus meum communicassem, efformaverat et ipse; quod genus eloteam dixit. Eloteæ nomen illud multum mihi arridet. Inter columelleam meam, et jussieam maxima est differentia. 1° calice. 2° numero, situ et figura staminum 3° stigmate. 4° tandem fructu longitudinaliter dehiscente in jussiea, in columellea vero bacca tetragona, sed alias simillima myrti baccæ.

Nissolia, ut *Lycopodium*, clavum format, nullam vero calitram, ut *sphagnum*, et antheras Bryi habet.

Nunc *poligonum maritimum minimum* observare nequeo, sed statim, ut castillionem redierim, plantam illam examinabo.

gauram tuam sepissime pervolvi, et ex examine intellexi oenotheræ speciem certam esse. si enim genus efformat, quot alia sunt condenda.

thalia stamen unicum habet . . . filamentum unicum oblongum, lacinia ultimæ corollæ simillimum. anthera adnata.

Frangulam, *paliurum*, *alaternum*, *ziziphum*, *rhamnium* distincta esse genera, mecum certi sunt omnes galli. maxima enim est differentia in fructibus, in stigmatibus, in petalorum squamulis. si enim hic non valent fructus differentia, ergo nec jussieæ &c. Ergo jungendi omnes ordines naturales.